



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 12. Aliud in alia Heroide, quæ & Deiparæ Mariæ figura fuit, in summo  
discrimine, miserentis Dei exemplum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

auxilium diuinum; sicut & medico glorioſius est, si pellat morbos, qui incurabiles videbantur.

§. XII.

*Aliud, in alia Heroide, quæ & Deipara Maria figura fuit, in summo discrimine missentis Dei exemplum.*

Tale periculum etiam Iudæis impendebat, per omnia Assueri regna, cum Aman (cui supercilium vastum erat, & tantum quantum barba) totius gentis interitum, decem millibus talentorum, vellet mercari. Iam consenserat Assuerus, vocatiq; sunt scriba regis, mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis: & scriptū est, ut iusserrat Aman, ad omnes satrapas regis, & indices prouinciarum, diuersarumq; gentium, ut quæq; gens legere poterat, & audire, pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatae ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis ad uniuersas prouincias, ut occiderent atq; delerent omnes Iudeos, à puero usq; ad senem, paruulos & mulieres, uno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Atque ut videamus, rem in extrema tegula stetisse, jam in Susan pependit edictum; iam cuncti Iudæi,

*Esther.*  
3.8.

B 3                   cum

Esther  
4. I.

cum Mardochæo, in luctu & lachrymis erant; quin & *Mardochæus scidit vestimenta sua*, & *indutus est sacco*, *spargens cinerem capiti*: & in platea mediae ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu usq; ad fores palati gradiens. In omnibus quoque prouincys, oppidis, ac locis, ad qua crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat, apud Iudeos, ieunium, ululatus, & fletus, sacco & cinere, multis, pro strato, ventibus. An non hoc periculum erat capitale? Sed ut & summum fuisse intelligam<sup>9</sup>, reginæ Esther, in cuius ope sola spes omnis erat sita, via ad regem fuit intercisa. Omnes serui regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, norunt prouincia, ait Esther, quod siue vir, siue mulier, non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absq; ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiae, atque ita possit vivere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum? Huc viq; periculum vidimus; sed, ut vel M. Tullius dixit: discriminum periclorumq; comites dij: quare neque hic desuit Dei auxilium. Itaque sicut, per Judith, Belthilia dedit libertatem, ita & , per Esthem,

Cic. l. 2.  
de Nat.  
Deor.

rem, Iudæis vniuersis illius amplissimi regni, incolumitatem conseruauit, perspicuâ & vaticinante figurâ, sic olim etiam, per Dei Matrem & cœli Reginam, in deploratissimis hominum rebus, auxilium à Filio eius impetrandum. Vnde & Filius, & Mater est *Spes nostra*. Filium sic vocat Paulus, quia **I. Tim.** **1.** est cauſsa nostræ spei, & *objectiona*; speramus **1.** enim Christi visionem: & *effectua* ac meritoria; quia non per Moysen, aut cæremoniaſ legis, sed per *Christum Dominum nostrum*, eius ſcilicet meritum & auxilium gratiamque, ſperamus periculorum malorumque omnium tolerantiam aut liberationem, ipsamque etiam æternam beatitudinem: & *finalis* denique; ille enim est ſpei & patientiæ, & omnis virtutis nostræ finis. Matrem autem Christi etiam *ſpem nostram* vocat Ecclesia, non quaſi illa, per ſe & immediate, ſit *ſpes nostra*, ſed quia per illam mediatè ſperamus, nempe precibus illius, bona, quæ petimus, nos, apud Christum, impetratoris; ſicut Mardochæo & Iudæis, apud regem Assuerum, gratissima, & hinc potentissima regina Esther impetravit. Hoc fuit consilium Dei. Dum Estherem euexit, iam, destinatione ſna, protexit Iudæos. Quod con-

B 4 ſlum

24 Cap. II. Desertis succurrere Deum

silium illi Mardochæus ante oculos posuit,  
vt eam moueret, ad causam populi sui, apud  
**Esther**  
**4. 14.** regem, agendam. *Et quis nouit, utrum id-*  
*circo ad regnum veneris, aiebat, ut in tali tem-*  
*pore parareris?* Talis spes nostra est & Maria,  
super omnes choros Angelorum exaltata,  
ut, in tali tempore tribulationis, tanquam  
mediatrix nostra, pararetur; per quam, cū  
iam actum esset de nobis, Christum primariam  
spem nostram accepimus. De quo be-  
neficio itidem est aliquid à nobis memoran-  
dum. Nam omnia veteris Testamenti, in  
hoc argumentum, exempla afferre, immen-  
sum esset opus.

C A P V T I I .

*Aliunde Relictorum Deo maiorem curam  
esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc  
est, ex Incarnationis, Passionis, &  
missionis S. Spiritus mysterio  
ostenditur.*

§. I.

*Status hominis, in iustitia originali,  
existentis.*



Yrus potentissimus, & quondam  
nobilissimus Persarum rex, pra-  
stantis ingenio atq; imperij gloria,  
cum